

Cracov. Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ordinis
1691.

Kunk Pauli Joan: Triumphale eruditae Palladis hastiludium in VV. DD. IX. athletis primae laureae Candidatis.

TRIVMPHALE ERVDITÆ PALLADIS, HASTILVDIUM

IN

VV.D.D. IX. ATHLETIS Imæ. LAVREÆ CANDIDATIS.

DVM

PERAVGVSTA ARCHI-ATHENÆI CRAC: OLYMPIA DECVRRENTES.

PER

CLARISSIMVM & ADMODVM RDVM: DNVM,

M. GABRIELEM PROFECKI.

Philoſoph: Doct: & Profeſſ: Collegam Minorē Præpoſitum Rymanovienſem.

In florentiſſimâ Illuſtrium Hoſpitum Coronâ,

Artium & Philoſophiæ Baccalaurei, Ritu ſolenni renūciarētur.

CORONATVM.

A

PAVLO IOANNE KVVK, eiuſdem Laureæ Candidato

In vim fraterni cultûs, ſonoro Muſarum Claſsico.

In feſtivum Lucis publicæ Theatrum

DEDVCTVM:

Anno Coronatæ Naturæ Humanæ VERBO DIVINO, 1691.

d. 20 Octobris

CRAC: Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL, S. R. M. Ord: Typ.

In Gentilitium WODZICCIANÆ Domûs Insigne

. - Et Cælo fulgebat LVNA Sereno. *Horat:*

- - - - - - - - - - - - - - *Virtute parata.*

ASTRA tenes. *Stat.*



ASTRA Serena, Domus celebris WODZICCIA præfert:
LVMINE quippè suo fulget in Orbe Lechi
ÆMVLA Solis adest, alienæ haud indiga lucis,
Famæ & Virtutis, gaudet honore, suæ.
Ergò dies Nobis accendant bina serenos
STEMMATE quæ fulgent SYDERA, WODZICIO.



PERILLVSTRI & MAGNIFICO DOMINO

D. LAVRENTIO IOANNI DE GRANOWO WODZICKI,

Pocillatori Varsaviensi,

Vieliccienn Bochnenn Salisfodinarum,

ADMINISTRATORI GENERALI,

Domino & Mecænati suo Amplissimo.

TRiumphale Eruditæ Palladis Hastiludium, post superatam rigidi certaminis aciem, non priùs suo coronari potuit proemio, quàm victrices palmas, Tuis quæreret & reperiret in palmis. Perillustris & Magnifice Domine. Assymbola quippè geris victoriæ Nomina, quibus Te Natura Laureatum, quia LAVRENTIVM insignivit. Nusquam proin melius, Heroa eruditarum mentium virtus, Laurum meruit decerpere triumphalem, quam Tibi Iuremerito debitam præsentaret, in cujus potẽtibus manibus Noua Metamorphosi, omnia vt in aurum, ita in viridem Laurum convertuntur: Enimverò eum hic sisto trophæorum apparatum, qui insignia quidem spolia cumulavit, verùmtamen quæ cruenta immanis Gradiui non contaminavit manus. Gloriosius nimirum illud, & gratiosis Tuis, non indignũ Manibus, victoriarum genus, quod in summâ, almæ pacis, tranquillitate, innocuo animorum, non armorum conflictu paratur, quod inter erudita Literati Cæli fulmina, expressum, doctâ fronte, sudorem, in pretiosos distillat vniones, quod deniq; inter numerosas gratulantium voces, inter densata tripudiantium vota, immortale Nomen æternaturæ transmittit posteritati. In censum igitur debitæ venerationis Honori Tuo illud depono tributarium; & meritò, non enim aliter generosa, decertantium, in peraugustis Literariæ Reipub: Iagellonicæ Olympijs, Athletarum triumphare potest Virtus, aut in amplum Lucis Publicæ prodire Theatrum, nisi prius eam Inclyti Honoris Tui circumdet amplitudo, & Mutuata Gentilitiæ Stellæ Cynthiaq; Tuæ illustret Claritudo. Feliciori quippè eventu, extra dubiam fortunæ aleam, cessit Successitq; certamen, cui Antesignána, vt olim Gygantonomachiæ præfuit Luna. Æmula Certè Fratris LUNA hæc est, quæ Nomina præter, Cætera Solis habens, propitiòs influxùs sperare iubet. Nam quod Soli proprium est, pari Lumine cunctos illustrare Morta-

 les,

les, etiam hoc à Candidâ Tua alienum non est LVNA, *nimirum: non exoratam, claram beneficiorum radijs, exoriri: Porrò Augustus Planeta hic non Angustam, quia Regiam Honoris decurrit Viam.* Stetit gloriosè in Serenissimo D. IOANNIS CASIMIRI Vandalico LEONE, *cuius Majestuosum indutus vultum, eundem suis clementissimè conciliavit Syderibus, qui uberem Famæ, Honoris & Gloriæ præfert Manipulum. Sed hic non diu constitit* LVNA Tua, *spatiosa Zodiaci ingreditur Olympia, & à* Serenissimo & Inuictissimo IOANNE III *Nobis feliciter imperante, Cælesti excipitur* ANCILI, *de cuius Lumine, eam asecuta est Corusci fulgoris lucem, vt si vltra crescere non posset, Plenilunium fecisse videatur. Plus vltra adhuc currit passu* LVNA *Citato, donec* Nurensem *prætergressa* Thesaurum, *tandem feliciter, in* Varsaviensis Pocillaturæ *hospitetur Statione. Crescet & amplius quousq; totum impleverit Orbem, & Tuum.*

Nomen, Fama vehet trans æquora, transq; remotas
Tethyos ambages Atlanteosq; recessus.

Quanquàm verò, tam Copioso Famæ, Honorum, & Fortunæ splendeas lumine, æquum tamen omnibus prætefers animum; nihil enim Fortunæ, omnia Virtuti gerenda committis. Et hæc sunt, quæ Honori Tuo breui compendio impenduntur, parces enim, quod plura exilis non concluserit, pagina, Factorum Magnitudo in culpa est, quæ Doctiorum etiam torquebit ingenia, angustata, vel soli succumbere faciet Augusti Nominis Celsitudini. Quidquid autem infra amplitudinem Honoris Tui est, id Summa Humanitas Tua, eo acceptabit animo, vt Mensuram Nominis Tui asequi non valenti, liceat saltem ex hac Vmbra metiri, quantum illud sit, quod Amplissimæ Gratiæ Tuæ debeam. Accipe igitur exiguum hoc, debitæ Obseruantiæ plenum Tributum, & dum venerabundus Ingenij Mei ad Te devolvitur partus, nascenti illustrem Cynthiæ & Auroræ *Tuæ præfice fulgorem, & nutanti beneficam porrige dexteram, ita Solennis hic Doctæ Palladis Triumphus, quem Amplissimo Tuo sub Honore, in lucem dedi publicam, Gratiarum Tuarum acceptus Sinu efficiet* Magnificum Nomen Tuum, *tot Athletarum Laureis Coronatum, æternùm perennare. Ita Vovet.*

Perillustris & Magnificæ Dominationis tuæ.

Clientum Minimus,

PAVLVS IOANNES KVVK.
Primæ Laureæ Candidatus.

B. IOANNI CANTIO,

In Alma Academia Cracovienſi, Sacræ Theologiæ Doctori & Profeſſori, Inclyti Poloniarum Regni PATRONO.

Athletarum Duci magnanimo Votiva Tabella, cum Lem:

Te Duce ceſsit Victoria Nobis.

ACre Bellonæ, dubijq; Martis,
Velle certamen ſuperare prorſùs
Abſq; Divino Superûm favore, eſt
Fervor inanis.

Non truces iras aciemq; duram,
Nec pharetratos Scythiæ, Gelones,
Non feras Gentes, gelidamq; Lunam
Ille triumphat.

Sæpe fatali patuit ruinæ
Sors, & eventu perijt nefaſto,
Hoſtium, quandò furor imminebat,
Pronus in arma.

Si quis ad pugnam benè doctus arma
Suſtinere armis, validaq; dextrâ,
Impetum hoſtilem cohibere gnarus
Defuit illi.

Palladis duram faciem Togatæ,
Cuius examen rigidum, Coronas
Gemmeas profert, teneramq; Laurum
Nemo negavit.

Quàm bono eventu ſuperâſse gaudet
Sola virtutis ſapiens poteſtas,
Sed tamen Divûm nimiùm potenti
Nixa favore.

Splendidum Lumen Lechicis in oris,
Principum vernans decus, & corona,
Præpotens robur, columenq; Turbæ
Grande Togatæ.

Dive condignis celebrate nunquam
Laudibus CANTI; meritis fatemur.
Gratiam magnis, niveumq; pectus
Reddim9 omnes.

Vicimus duram seriem laborum,
Hostium robur, variosq; casus,
Contigit tandem celeber triumphus
Te Duce nobis.

Hinc Tuæ cedit meritò Sacratæ
In decus fronti, capitiq; docto
In perennem ævo memori Coronam
Laurus opima.



CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, & ADM: RDIS: DOMINIS:

EXAMINATORIBVS

CLARISSIMO, ac EXCELLENTISSIMO DOMINO,

M. ALBERTO WOLSKI.

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, Ordinario Astrologiæ Professori, & intereá Facultatis Philosophicæ

DECANO.

CLARISSIMO, & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

M. MARTINO OSLINSKI.

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Tyliciano Eloquentiæ Professori, & ad S. ANNAM Canonico.

CLARISSIMO ac EXCELLENTISSIMO DNO.

M. ALBERTO TOPINSKI.

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori,

Hasti-

Hastiludij Triumphalis, dignissimis
ANTESIGNANIS.
Promeritam Gratitudinem Apollo personat
CVM LEMMATE: Stabit immortalis gloria facti.

SI quando rerum, grande negotium,
Heròa Virtus cogitat aggredi,
Laudata Maiorum necesse
Acta probet; quoniam Virorum
Laus iusta dignam concitat Indolem
Magnos ad ausus. Miltiadis quia
Placent Themistocli Trophæa
In similes animatur ausus.
Sic nos Togatæ Palladis arduum
Certamen Io, iam superavimus,
Sed Antesignani potentes
Nominibus datur illa Vestris:
Si quanta Nobis gloria contigit
O docte WOLSKI, *qui moderamina*
Stoæ gubernas, Tu supremis
Arte Tuâ dominaris astris.
Secreta noscens, docta Matheseos,
Ad usq; cœlos, ingenio volas,
Quidni beatâ semper aurâ
Ipse Tibi famuletur æther
At Te, Togati gloria roboris
Et literati, regula prælij
Quod carmen OSLINSKI *perenni*
Laude canam, quia plenus omni
Scientiarum munere, maxima
Præstas: & ipsis Magnificentiam
Tuî nuper Augustam addidisti
Principibus, potiore pennâ.
Et Te TOPINSKI, *nostra panegyris*
Complexa cuius, culta modestia
Prudensq; candor gloriosè
Nos animans peperit triumphos.

Te sive svades, svada Demosthenem
Probat, resolvis sive profundius
Arcana, Plato nuncuparis
Lausq; Tibi sub utroq; crescit.
Ergo peractis mille laboribus
Vobis Trophaea & vota reponimus;
Vestrum perenni laude dignum
Fama vehet super astra Nomen.
Diu potentes, in columen bonis,
Diu precamur vivite literis
Vobis ad optatam Coronam,
Dent meritos superi favores.

TRIVMPHALE ERVDITÆ PALLADIS HASTILVDIVM.

In IX. Athletis V. D. ımæ. Laureæ Candidatis CORONATVM.

I. *V. & ADMODVM REVERENDO DOMINO.*
NARCISSO LEYSZTER Ord: Can: Reg:
Conven: Miechoviensis Professo, Athletæ Ceromatico,
CLIO applaudit.

CVM LEMMATE: Optanda Cruci Victoria crescit.

OMine, nullus adhuc fausto certauit Amynthas
Aut de Gradivo, clara trophæa tulit,
Qui non sub Constantini magni Cruce bellat
De Campo, Martis Victor abire nequit.
Straverat Heraclius Persas, illosq; subegit,
Sed Crucis in signum, dulce Numisma dedit.
Et Tu certasti sublimius Inclyte LEYSZTER
Vidisti veniens, ut Tua facta canat,
CLIO potens, optanda Cruci victoria crescit.
Et Ceromaticò nexa Corona datur.
Est Tibi quod fateor, Sapientia cum pietate
Non vilis: sacro totus amore cales.
Divinus Christiq; sequax, Tu sub Cruce Mystes
Quam fugiunt alij, pectore, victor habes.

Ingenio

Ingenio vegeto penetras Arcana Sophorum
Et docti semper Nomen ubiq; geris
Eloquij mirum spargis Narcissus odorem,
Et comitate Tuâ corda ligare potes.
Servat spina Rosas, sed Te Crux bina tuetur:
Narcissus debes dignior esse Rosis.
Crede sub hoc signo, Tu cuncta peraspera vinces,
Victori dabitur Laurus opima tibi.
Viue diu felix, rutilâ decorate Coronâ
Ordinis Augusti gloria magna Tui.

II. V. & ADMODVM REVERENDO DOMINO.

D. PETRO STANISLAO BRVNO

Ecclesiæ Collegiatæ Szamotuliensis Canonico, Athletæ Stadiodromo,

Strenuè Olympia decurrenti, Calliope, occurrit,

CVM LEMMATE: Divitijs animosa suis tendit in ardua virtus.

Felix aurifero Gange Superbiat
Nonnemo recolens, sole sub Indico
Telluremq;, Tago dives & aureo
Hispanus tumeat suo.
Eboracus adest PETRVS eburneus
Quem Musæ recinunt, BRVNO Canonicus,
Felix vrbe suam duxit originem,
Cuius Præses Avus fuit
Henricus, gravibus jura Quiritibus
Dans. Sed ne memorem, grandia Nomina
Quod Te non genitum, degenerem suum
Verùm Prodigium Polo
Mirandum Lechico progeneraverint.
In Te nam resident, cum sapientiâ
Et virtus patiens, culta modestia
Tanquam oracula Delphica.
Tu Primas retines PETRVS Apollinem,
Fundâsti sapiens Iura Petram super,
Gemmam sydeream Te Theologicum
Æquor gignit & æstimat.
Quis non Angelicam dicat & authumet,
Cui par nec pretium, quam parit Angliâ,
Sano Iudicio carior omnibus
Præstat divitijs suis.

 Vt belle

Vt bellè niteat tendit in ardua
Virtus, Dux referat laudis adoream
Postponitq́; lubens mille pericula
Vt conscendat olympia.
Ergò, quem Trevirum, quod decus hactenus
Regale ambiêrant Helmstadij DEÆ
Addictæ studijs, quando Plagas soli
Prosper viserat exteri.
Vt Tu Calliope pulchrior emices,
Cingas emeritum iam diademate,
Cedat laurifero Laurea vertici
Vivat secula Nestoris.

III. V.D. CASIMIRO FRANCISCO TVATER Crac:

Athletæ Xystico Talia sonorum edit,

CVM LEMMATE: Mirusq́; latet sub Nomine candor.

C Oncors sacrorum consentit opinio Vatum
A usonio cerebro, prognatam Pallada doctam.
S i cunas spectabo Tuas CASIMIRE Tuater
I ndolis egregiæ specimen frontemq́; venustam
M atrem Te genuisse Deam, fontiq́; sciendi
I mmersisse reor, nam Te excepêre faventes
R egales Cunæ, Regumq́; Parens sapientum
V t dicam verbo, felicis limina Craci
S ervivêre Tibi quasi iam virtute polito.
F ast est ut fatear Ciceronis Te decus ingens
R ostris esse suis, Musis veramq́; Coronam
A onijs, Stoæq́; pium sapientis amorem.
N emo tamen quærat, quid sit nomen CASIMIRVS,
C astus nam mirusq́; latet sub Nomine candor,
I ngenijq́; patet probitas non vltima Virtus
S emina virtutum gravium, quæ spargit in omnes,
C resce proin faustus prægrandi messe repletus,
V t fructum referas pingvi tellure creatum,
S pemq́; bonam de Te quoq́; dulcia gaudia fundas.
T alis enim fueras in succrescente Iuventâ,
V t magnum quivis de Te conceperit omen.
A tq́; quibus latè eximium diffundis odorem,
T antæ virtutis tribuant Tibi laudis honorem,
E t niveâ cordis sinceri mente precentur
R itè coronentur viridi Tua Lilia Lauro.

V. V. D.

V. V. D. GEORGIO LONOWSKI, Varsav:
Athletæ Discobolo, Terpsichore assurgit,
CVM LEMMATE: Ex hoc Diadema labore.

SVdat Alcides celebris perennem
Antequam lætus recinat triumphum:
Annibal donec Libycus præaltas
Scandat in Alpes.

Jasonis nunquam Phrygium reportat
Vellus, aut Regni sapiunt tenaces
Mala, robusti tulerint potenter
Si mala nunquam.

Nec Polus præceps humeris Atlantis
Incubat, cœli reprobant inertes.
Sed boni nobis Superi labore
Omnia vendunt.

Quippe nec sors hâc melior futura est
Quam sibi cudit Faber & nepoti.
Fama non venit, nisi pertinaci
Parta labore.

Grande Musarum decus æviternum
Et Tibi fulsit Diadema nisu
Proprio, Templum reseras Honoris
Docte LONOWSKI.

Non minor cultûs labijs venustas
Ingenij celsi decor aureusvé
Eloquij Torrens, gravitate sermo
Currit amænus.

Ergò ne duri gravident labores
Præmium dignus teneas Togatum
Quod Tibi (felix Diadema prenses)
Dextra paravit.

VI. V. D. GASIMIRO KVROWSKI,
Athletæ Acrochiristæ Euterpe congaudet,
CVM LEMMATE: *Virtutis præmia Laurus.*

QVid Tibi pro rigido certamine docta Minerva
Magne Athleta dabit, munera quanta feret.
Cedant iam violæ candentia lilia cedant,
Et flores, mentes, qui recreare solent.

Pomifer Autumnus cedat cum fructibus amplis
Et lætæ ſegetes, cedat & alma Ceres.
Emeritum Caput haud dignè decorare videntur
Non hæc Virtutis, præmia iuſta manent.
Perpetuò viridans præcingat tempora Laurus
Hæc Tibi KVROWSKI munera Muſa ferat.
Feciſti nitido Tu ſemper digna corymbo
Hinc Te victorem Laurea pulchra decet.
Et quia decurris præpes Virtutis olympum,
Eveniet credas munere ſummus honos.
Hauſiſti latices multo de fonte Caballi
Eloquiiq; Roſas, ore locutus eras.
Vt vigeant in Te ſtudium virtuſq; perennis
Et caſtæ mentis cum pietate nitor
Ergò cum tantis cumulatus dotibus extes
Virtuti cellæ præmia Laurus erunt.

VII. V. D. IOANNI ANTONIO WENTON,

Athletæ Gymnico Erato ludit,

CVM LEMMATE: *Pretium non vile laboris.*

QVi ſquis Palladij ſequax lycei
Præmio decoratus ire poſcit,
Ingentes ſuperet laboris æſtus
Inſudetq; libris merendo doctum
Præcingi viridi caput coronâ.
Exiles lacerat Colonus agros,
Diſponitq; glebas ſecatq; aratro,
Vt fructum Cereris ferat dicatum.
Et miles validus ſerit cruorem
Bellonæ riguis calentem in arvis,
Vt laudis referat graves maniplos.
Et WENTON rigidos tulit labores.
Hinc magnum pretium laboris almi,
Laurus Lechiacæ datur Minervæ.
Et nomen volitat tuum per orbem
Durabitq; quoad Polus perennis,
Clarum volvet in orbe lucis axem.
Victor perpetuo vigebis inter
Athletas Sapientiæ Togatos.

VIII.

VIII. V.D. ALBERTO KASIORSKI,

Athletæ Haltico Euterpe occinit.

CVM LEMMATE: Eximiâ Virtute decorus.

D Ignos adornat Laurea vertices,
Apollo Vates pectora fortia
Exambit, ac Musæ sacratæ
Perpetuo decorat corymbo.
Arcus & hastas, tutior explicat
Pallas labores non timet arduos,
Aspergit hastam, non cruore
Sed celebres geminat triumphos.
Athleta Magnus Pallados inclytæ,
Apparuisti, semper & æmulus
Virtutis excelsæ KASIORSKI
Mente valens celeriq; penna.
Cedunt disertæ Pierides cui
Docto securæ cum Sapientiæ
Scuto sit, hoc artis perennis
Castalios latices bibendo.
Immò eloquentem Nectare Tullium
Præteferebas, ac probitas Tuæ
Mentiq; favet felixq; vivas
Dotibus eximiis decorus

IX. V.D. IOANNI PINIAZKI,

Athletæ Pancratiastæ, Polihymnia famulatur,

CVM LEMMATE: Sedulitate triumphat.

QVo Natura Parens, Orbem confecerit orbum,
Sedula perficit Ars
Et supplere vices, si quid deliquerit ipsa,
Docta Magistra potest.
Prensatos verò Fasces, segnisvé remissa
Non benè dextra gerit.
Annibal è Capuâ placida ter victor abisset,
Continuante manu,
Si certavisset, Palmas, palmisq; refertas
Accumulasset adhuc.
Sed Tu delicium Musæi gratia clari,
Gloria grata magis,

 Castali-

Castalidumq́, decus nitidum perdocte IOANNES
Pulchra Corona Viris.
Tu strenuè laudis certamina non moritura
Currere ritè soles.
Vilescunt lassæ vires, & mille labores
Pro nihilo reputas,
Vt tantùm generosa sedulitate triumphes.
Secula Nestorea
Vive proin felix, & terq́, quaterq́, beandus
Hoc Tibi STOA vovet.

IV. V.D. PAVLO IOANNI KVVK,

Primæ Laureæ Candidato, Auctori operis Athletæ Penthathlo, in grati pectoris Symbolum.

V.D. PETRVS STANISLAVS BRVNO,

Eiusdem Laureæ Candidatus Melpomenen immortale, occinentem nomen offert

CVM LEMMATE: Carmina quam tribuunt fama perennis eris.
Ovid: 1. *Am.*

TEmpus edax rerum septem miracula mundi
Dentibus absumpsit, dissecuitq; suis.
Destruxit totum, quidquid celebranda vetustas
Præclarum fecit magnificumq; dedit.
Deterit vmbrosas sylvas annosa senectus,
In cineres ævo, saucia Cedrus abit.
Pyramides cecidêre, Rhodus, Famosa Dianæ,
Gadibus Herculeis, fixa trophæa ruunt.
Mausoli tristem duxerunt marmora labem
Culta sepulchra jacent, suntq; sepulta sibi:
Vnica, Mortalis, res audit nescia sêcli
Et fugit accensos, inviolata rogos.
Non cadit occiduæ per iter declive senctæ,
Sed duraturæ, munera laudis habet.
Fama tenet summum, nimirum culmen honoris,
Et primas partes, vendicat ipsa sibi.
Hac pro certâsti, sudato Athleta labore
Penthathlus Victor, PAVLE canende mihi.

Hanc

Hanc meruit recinens celebris monumenta Triumphi
Palladis Ausoniæ, docta Camæna Tua.
Tu flos Pieridum, Tu summi gloria Pindi,
Et communis amor, deliciumq; Lyræ.
Te vehit eloquio, Ciceronis fama perenni
Dulcisonumq; Tuo, nectar ab ore fluit.
Ingenij præstans semper Stoa, laudat acumen,
Dum solvis nodos, quos Peripatus habet.
Ambiat ergó Caput, decus immortale corona,
Tempora præcingens Laurus opima Tibi.
Vive precor sospes, longævi Nestoris annos
Omnia dumq; ruunt claro sub sole creata,
Carmina, quam tribuunt fama perennis erit.

Sub felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris, & Reuerendissimi Domini.

D. M. FRANCISCI PRZEWOSKI.

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Professoris, Ecclesiarum Collegiatarum SS. Omnium Præpositi, ad S. Florianum Canonici, Curelouiensis Scholastici, Contubernij Hierosolymitani Provisoris, per Diæcesim Crac: Ord: Librorum Censoris, Almæ Vniversitatis Crac: Generalis, & Vigilantissimi,

RECTORIS.

